DE

COGNOSCENDIS CURANDISQUE INFANTUM MORBIS

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXII. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
MAURITIUS DOERENKAMP
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

A. T. LAINVEBER, MED. ET CHIR. DD.
F. J. BOEKER, MED. ET CHIR. CAND.
M. TYRELL, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

G

DR.

LEU

VIRO

CELEBERRIMO

G. G. SAM. KOEPKE

DR. THEOL. ET PHIL. DIRECT. GYMNASII BEROL. AD LEUCOPHAEUM EX ORDINE EQUITUM AQUIL. RUBRI.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

De cognoscendis curandisque infantum morbis.

Introductio.

Quanta inter infantum adultorumque ut organismum ita morbos intercedat differentia; quot res naturae infanti propriae sint; qua morbi celeritate fatali atque quasi maligna infantes corripiant; quam sit dubia plerumque, quam semper difficilis eorum diagnosis atque medela; quantum haec distet ab adultorum curatione, quippe cujus difficultates, ut inter omnes constat, non solum dosibus ad aetatem corformandis, verum etiam ratione quadam subtiliore, subtiliori infantum organismo propria atque idonea, amoveantur; his de rebus

quamvis saepenumero expositum sit, paucis quid sentiam, exponere operae pretium videtur esse.

Liberorum salus atque integritas quam maxime parentibus curae cordique est, prolis sanitatem, saepius pluris, quam suam ipsorum existimant. Hunc ardentissimum sobolis amorem, hanc imbecillae infantiae tutelam, hanc futuri floris spem, natura insevit animo parentum. Qui amor quo major est et quo promtius tot tantaeque tenuis infantis calamitates auxilium exigunt, eo gravius opem ferendi officium, eo laetiores medico colligere licet fructus. Cui officio, summis, quod nemo non videt, obstricto difficultatibus, ne debito destituatur fructu, strenuitate quadam studiique assiduitate ita satisfaciendum est, ut cum penitiori morborum malorumque cognitione remediorum augeatur dignitas laetaque laetioris valetudinis spes. Sed ordiendum videtur ab ipsarum difficultatum indagine, quae partim cernuntur in tenerrima infantum constitutione, partim in educatione, perversis opinionibus pravisque moribus obnoxia, partim in ardua morborum diagnosi; praeter difficiliorem medicaminum administrationem illud accedit, quod parentes nutricesque, si ipsi, ut fieri

solet, prolis morbos aut imperitia aut negligentia induxerunt, vel consulto eos occultant, vel validiorem affectione organismum putantes, negligunt medicumque sero in auxilium vocant. E contrario infantum morbi id habent commodi, quod huic aetati multi sunt peculiares; quod simpliciores se ostendant, omniaque symptomata, quae ab adultis de industria augeri, attenuàri, occultàri possunt, in infantibus, quibus nihil simulationis inest, veriora et sinceriora apparent; deinde, quod parentes multo facilius liberos, quam semet ipsos ad medelae strenuioris praecepta accommodare consueverunt.

Aetiologia.

Tantus ille morborum numerus, quibus infantes, praesertim neonati, corripiuntnr atque eheu! frequentius exstinguuntur, mirus nobis non amplius videbitur, si res memoratu dignas, quas jam jam enarrabo, morborum innuo semina atque momenta, diligentius reputemus. Quamquam enim foetus utero materno inclusus, tutus ab irritamentis externis succrescit, non solum morbis multisque evo-

lutionis impedimentis submittitur, sed etiam multis rebus, priusquam in lucem edatur, vita privari potest. Quibus vero detineatur morbis, vix ante partum, quod facile est intellectu, cognoscitur, quapropter neque impedire, neque sanare quidquam possumus. Communis omnium saeculorum experientia nobis certissime persuadet, esse morbos, qui tristi quadam perennitate a progenie ad progeniem sine causa manifesta propagentur, hereditarios dico, quorum seminia a parentibus ad liberos traduci, qui negent, non desunt, exempla illa fortuita opinantes, quibus unus idemque morbus per multa propagetur genera; siquidem soboles eandem, ac parentes, vitae rationem sequi, ergo iisdem injuriis submitti soleat; at haec opinio erroribus irretitur, etenim si quid veri haberet, atavorum et parentum morbi hereditarii, qui sunt, nunquam in eos deferrentur nepotes, neptes, filios filiasque, qui longe aliud vivendi genus sibi eligunt, ac majores egerunt. Observationibus Cullenii ac multorum aliorum satis elucet, morbos hereditarios nonnunquam ita esse constitutos, ut serius increscant, oblata tandem occasione in morbi speciem erumpant.

Omissis iis affectionibus, quae foetu utero nondum excluso vigent, artis quisque obstetriciae

peritus facile intelligit, et ex partu nimis laborioso nimisque diuturno, et ex aliis quibuscunque rebus prosperum eventum arcentibus, quae aut ex matre aut infante proficisci possunt, iniquos in prolem redundare effectus.

Dein infans, relicto utero materno, disjunctoque funiculo umbilicali, propriam suam naturam, suam salutem suaque pericula habet, gravissimis, quae jam prodeunt, totius organismi commutationibus, ansa innumeris praebetur affectionibus. Atmosphaerae vi ad respirandum compulsus infans aerem suscipit, quo facto pulmones, quorum vices placenta antea exhibuit, collapsi extenduntur. sanguis venosus, antea ad placentam delatus, eosdem complet, chemica cum oxygenio affinitate invitatus. Huic subitae circuitus commutationi apoplecticae suffocatoriaeque affectiones, quas paulo post partum observamus, originem debent.

Similem effectum aër in totam exserit cutis superficiem, quum infans, liquoris amnii efficaciae medioque calidiori subductus, asperioris atmosphaerae submittatur irritamentis, quibus superficies externa vigentiorem induit colorem ejusque functio

secretoria, neonatis maxime necessaria, causis levissimis turbari aut supprimi potest. Quocirca etiam tribus aut sex diebus a partu elapsis subsequens totius epidermidis desquamatio, quae, Caro auctore, in omnibus sanis neonatis observatur, cum opportunitatem quandam ad exanthemata secum ferre soleat, respectu infantilium morborum memoratu digna est.

Si respiciamus mutatam post partum nutritionem eamque, quamquam matris lacte perficitur, nihilominus a priori, qualis in utero fuit, longe discrepantem (ne dicam de nutritione artificiali eaque multo diversa); si porro intueamur tubum intestinalem, assimilationi nunc dicatum, si motum ejus peristalticum excitari et functionem novam alimentis consumendis manifestari coeptam meditemur, facile est intellectu, in tanta partium omnium, praesertim ventriculi, sensibilitate plurimas digestionis perversitates et obstructiones et diarrhoeas oriri posse.

Deinde sexcentae causae externae in unaquaque infantiae periodo inveniuntur, quae in ejus valetudinem inimicissimam vim exercere solent; curam

innuo negligentiorem, domicilia humilia humidaque et aerem corruptum, frequentiora refrigeria, alia diaetae vitia, quae ex pravis nutrimentis proficiscuntur.

Haecce ratio, qua de infantis neonati, quae sunt, mutationibus exponere visum est, cur tot rebus infantum integritas turbetur atque salutis discrimina fatali augmento cumulentur, enucleabit. Sed infantis salus et praesens et futura eo potissimum in periculum vocari videtur, quod minor habeatur ratio diversitatum physiologicarum rerumque organismo infantili propriarum, in quibus saepenumero curationis minus prosperae causa cernitur. Revera infantum morbi, ut suam habent naturam, ita suam reposcunt medendi methodum; res igitur est gravissimi momenti, ut omnes infantilis aetatis proprietates medicus examinet.

Primis vitae annis reproductio maxime praevalet, partesque consumtae assimilatione non solum instaurantur, sed reformantur. Haec ipsa reproducendi indoles ob tantum vigorem saepissime, praesertim ubi negliguntur diaetae praecepta, offenditur atque offendit morbis, quibus simul ad

pseudoproductiones divertitur. Multa exanthemata, quae infantibus superveniunt, hanc perversam reproductionem probant. Reproductionis systema, praeterquam quod plurimis infantum morbis inficitur, per sympathiam quocunque alio casu plus minus afficitur, quocunque morbus quidam in alio systemate principium atque sedem habet. Res medelae faciundae gravissima, quippe in qua cernatur ratio, quod medicamina reproductionem nimis luxuriosam reprimentia fere ubique prosperrimos praebeant effectus. Mira illa reproductio a partu ad pubertatem usque non eodem semper vigore excellit, sed in aliis aetatis periodis alia systemata principatum obtinent.

Quo minor natu infans, quo mollius ergo encephalum omnesque nervi, quo encephalum corporis ratione majus, eo major receptivitas et sensibilitas, eo efficaciora omnia incitamenta conspiciuntur, eo celerius irritamentorum effectus evanescunt; id, quod plurimis infantum morbis confirmari videmus. His quoque elucet, cur infantes saepius quam adulti systematis nervosi affectionibus, quae variis notantur nominibus, submittantur et cur medicamina promtius in sensibilitatem agentia,

ut vinum, opium, similia, quibus humornm impetus ad caput, per se rapidissimus, insuper acceleratur, infantibus plerumque summa detrimenta inferant.

Adolescente aetate sensibilitas pedetentim minuitur, irritabilitas augetur; neque minus irritabile est infantibus vasorum systema, quippe quod causa levissima excitari possit. Encephalo insuper jam irritato, sanguinis affluxus statim adaugetur, qui inflammatione atque exsudatione exitium inducit, nisi matura et apta curatio instituatur. Quanta saepe celeritate infantes encephalitide corripiuntur! Eximia haec ad exsudationem propensio, infantili organismo praesertim propria, summa fluidarum partium copia ac praevalente reproductione nititur.

Si totam infantem aetatem a partu ad pubertatem aut ad eum terminum, quo adultis adnumerantur, intuemur, vitae quasdam periodos, in quibus hoc illud systema, haec illa functio prae ceteris excolatur et vigeat, absòlvi videmus. Tota illa aetas jam natura in tres periodos stricte dis-

cernitur. Quae evolutionis periodi per se quidem morbosae non sunt, interdum autem conditionibus fortuitis dispar quaedam variorum systematum proportio, seu aequilibrii, quo inter se continentur, turbatio oboritur, qua multarum affectionem seminia adaugentur. Quicunque morbus evolutionis periodo supervenit, evolutioneque impedita efficitur, evolutionis morbus nobis dicitur, qui quidem haud minus sunt numerosi atque diversi, quam systematum functiones perversae. Omnes cum exaltatione systematis nervosi, aucto humorum affluxu ad locum affectum et lymphaticarum materiarum secretione, ad formandas partes organicas idonea, conjuncti sunt, ideoque caloris, ruboris, tumoris et interdum doloris symptoma exhibent. Si organismus hisce processibus nimis violenter afficitur, ipsae febres aliaeque functionum perturbationes nascuntur, medicorumque attentionem desiderant. Suos quaeque periodus morbos habet, quanquam secundae tertiaeque periodi morbi locum nonnunquam commutant.

Periodus prima eaque, ut brevissima, ita periculosissima a partu usque ad aetatis mensem octavum aut decimum porrigitur, prima detitione

limitatur; qui in hoc stadio habentur morbi, terminos periodi excedere haud solent. Numerus eorum atque indoles ex omnibus hactenus expositis satis apparent, neque minus cur plurimi infantes hac aetate morte occumbant, intelligitur. Sub finem hujus periodi corpus aliquantum corroboratur, motus arbitrarii amplificantur, primi dentes emergunt, quibus natura indicare videtur, corpus jam solidioribus cibis esse adaptatum. Qui processus nonnunquam placide absolvitur, non raro vehementioribus symptomatibus premitur, quae si modum excedant, aptam expostulant medendi rationem, saepius vero natura eorum damna avertere studet, nihilominus perperam agit, qui morbum, quem primae dentitioni proprium esse intellexit, negligat ac praetermittat.

Periodus secunda, quae a prima dentitione ad annum vitae septimum aut ad dentium vicissitudinem protenditur, minus quidem periculosa est, sed in hac quoque reproductio omnibus functionibus praecellit, quamobrem morbi hac aetate exorientes, praesertim reproductionem perversam aut degenerationes et deformitates exhibent. Irritabilitas sensensibilitasque justa carent energia, incitamentis

externis, iisque insolitis, parum renituntur; ceterum celerius adolescere, majorem firmitatem, aequabiliorem sanguinis circuitum corpus nancisci observamus; systematis vasorum affectiones saepenumero occurrunt. Hydrops ventriculorum cerebri huic stadio quidem prae ceteris proprius, sed primo quoque et tertio in stadio communis est. Exclusis primis dentibus, infans ab uberibus prohibitur, solidiores cibos assumere incipit, quo fit, ut abundantia quadam ciborum ad cruditates, vomitum, obstructiones, diarrhoeas, praesertim ad helminthiasin corpus pronum reddatur. Neque minus longa morborum series ex tempestatis vicissitudinibus, coeli temperie, quibus infans jam saepius, quam antea committuntur, deducenda est, vim pessimam istae res in tenera respirationis organa exercere solent, unde tussis convulsiva, asthma, alia.

Tertia periodus ad pubertatem usque pertinet et a secunda tantum eo differt, quod corporis organa, majorem adepta firmitatem, stimulis externis minus afficiuntur. Primi dentes sensim sensimque amittuntur, major majorum dentium numerus emergit. Qui processus minoribus, quam prima dentitio, conjunctus est organismi turbis. Systema

vasorum ineunte hac periodo incitabilius, exeunte demulcetur. Rarius quidem morti succumbitur, morbi vero non pauci, nisi jam superati sint, superveniunt; praesertim exanthemata, quae saepissime epidemica grassantur, quapropter certis periodis describi non possunt. Pedetentim infantis corpus ad majorem evehitur perfectionem et systema sexuale evolvi ejusque functio vigere incipit, unde magnus in totum organismum redundat effectus. Cui rei, in pueris sine majore perturbatione fieri solitae, raro therapeutico auxilio opus est, at in puellis haec rerum mutatio, quo impeditior, eo medici attentione dignior apparet, quia novae et insolitae functionis, mensium dico, initium fit, quorum profluvium saepe numero multo puellis damno coercetur. Quam ob rem crebrius puellae, quam pueri morbis, ut chlorosi, epilepsia, chorea st. Viti etc. afficiuntur. Nec non vocis et respirationis organa cum genitalibus singulari utuntur consensu itaque simul affici possunt

———

Diagnosis.

Accuratiori rerum supradictarum ratione habita, quibus neglectis, diagnosis per se difficllima dirimi non potest, multa nobis suppeditantur indicia, altera autem parte multa desunt, quibus in cognoscendis adultorum morbis utimur, auxilia. Si ex imperfecta adultornm de morbi cujusdam conditionibus anamnesi vix aliquid certi obtinemus, quanta opus sit industria nemo est, quin sciat, ad explorandas conditiones infantibus infestas, praesertim neonatis, qui judicio et sermone carentes, doloris sedem, indolem atque vim verbis exprimere neqeunt. Medicorum dein est, ex infantum inquiete, ex animi torpore, ex trepidatione, ex vagitu, ex pulsu, ex aliis valetudinis adversae criteriis aegrotorum conditionem conjicere atque suspicari. Haud dubie in cognoscendis non solum adultorum sed multo magis infantum morbis physiognomiae contemplatio summi est momenti, quippe ex qua symptomata pathognomica, quorum sua quisque morbus aegrotorum vultui imprimit, colligere atque ex his veram morbi naturam cognoscere liceat. Sunt infantum morbi, qui faci-

lius cognosci possint, sunt alii, quorum causae tantis tenebris obfuscentur, quorum symptomata tam exigua sint ac pusilla, ut vix observentur, atque a medico in aegrotorum perniciem temere negligantur. Quo saepius igitur medicus infantem vidit, eo magis suo judicio fidere potest, quum minimum quodque morbi symptoma in tanta organismi teneritate seqnelas iniquas inducere, ac celeriter evanescere possit. Summa ergo requiritur attentio, ut maturae cognoscantur et recte curentur, ne eventus funestus nostrae imputetur socordiae vitaque infirma serius ocius plane exstinguatur.

Haec fere sunt praecepta, ad quae medicus in explorandis infantum morbis animum attendere debeat.

1) Physiologica a pathologicis recte distinguenda sunt. In neonatis v. c. pulsus tam frequens est, ut vix numerari possit; respiratio ob parvum thoracis cavi ambitum et pulmones vasorum ratione parvos celerrima atque anhelosa; vomitus per ventriculi sensilitatem saepius consequitur, ceteraque excretiones sunt copiosae; systema glandularum in

neonatis majorem prodit actionem, quare hepar relative majus est infanti, quam adultis.

2) Conspecto infante per somnum et vigiliam, observato extremitatum et capitis situ, musculorum quorundam motu, respiratione, pupillae conditione, pulsu, vultu, faciei colore, ablatis vestimentis oculis manibusque explorandum est, num infans tactu cujusdam loci affecti dolorem sentiat; tum cutis temperies, funiculi umbilicalis, suturarum et fonticulorum conditio circumspicienda. Investigatis orificiis naturalibns, oris aurisque cavitatibus, perspecta linguae indole, ex quibns multa nobis morborum indicia apparent, parentes aut nutrices in colloquium vocandi eorumque effatis de aegrotorum statu, de causis remotis, de morbis praeteritis, forsan periodicis, diagnosis illustranda est.

3) Difficilioribus in exemplis parentum consanguineorumque habitum respiciamus oportet, quum ex hoc de infantum constitutione concludere liceat; quae si rem ad liquidum non perducunt, comparatis omnibus totius corporis systematibus mutuaque eorum ratione, examinatis deinde temperamento,

domicilio, vestimentis, rebus ceteris, praecipue nutricibus,stabilienda est diagnosis.

4) Excretorum indoles et copia cum assumtis nutrimentis exacte comparanda est. Infantum cutis nervis vasisque ábundat, ideoque ejus resorptio atque secretio copiosior est, quam adultorum. Nec non materiae nocentes per cutem e corpore saepius submoventur, quod exanthemata probant, quorum eruptio hanc ob rem magis fovenda, quam impedienda est.

Quae momenta gravisima, quanquam sint generaliora et ab infante petita, qui constitutione ab adultis longe differt, tamen ad sublevandam diagnosin, aut confirmandam sufficiunt.

Prognosis.

Ex iis, quae hactenus proposuimus, abunde patet, prognosin a tot tantisque diversitatibus pendere, ut normae generali, omnibus morbis conve-

nienti, adstringi nequeat. Universim, incerta morborum infanlilium diagnosi, quae saepissime esse solet, cavendum est, ne symptomatibus quibusdam blandioribus decipiamur atque prognosin temerariam auguremur, quum experientia nos edoceat, res vel prosperrimas nulla in re saepius longe alium, ac speravimus eventum sortiri, et vice versa, quam in infantum morbis. Prae ceteris aetas corporis constitutio, evolutionis periodi, morbi genus ac sedes, stadium, causae, symptomatum violentia respicienda sunt. Primam aetatis infantilis periodum reliquis esse perinciosiorem, supra memoravi, nam organismus illa in periodo omnium incitamentorum externorum impatientissimus est; profecto multo major infantum numerus in prima, quam secunda et tertia periodo, supremum diem obit. Quo validior corporis constitutio, quo magis systema nervosum inter et reliqua intercedit ratio justa, eo laetiora, ceteris paribus, sunt praesagienda. Evolutionis periodi, quum revolutionem quasi majorem aut minorem totius corporis inferant, inprimis sensibilitatis intemperiem excitent, praedictionem morborum iis supervenientium non mediocriter turbare solent. Causae quanto magis in aprico sunt; quantopere facilius possunt everti,

tanto laetius afflulget augurium; hereditariae ut plurimum infaustum curationis eventum pollicentur, quippe quae intimae organismi oeconomiae adeo nuptae esse consueverint, ut suspendi nequeant, nisi haec ipsa radicitus, corrigatur. Respici quoque oportet morbi sedem: quemadmodum externi morbi leviores internis, ita pectoris et capitis perniciosiores exisitimandi sunt, quam abdominis, etenim ventris viscera ad vitam sustinendam minus absolute necessaria, quam cranii ac thoracis, injurias morborum facilius, certe diutius, ferunt. Quod denique morborum naturam attinet, alios aliis funestiores esse, compertum habemus: sunt enim, qui fulminis quasi ictu, vitam exstinguant, sunt etiam, qui per multos annos, imo per vitam sat longam propemodum impune ferantur.

Curatio.

Quo melius succedat curationis opus, medici st, infantum benevolentiam sibi conciliare, quam omitate et affebilitate optime conciliabit, nemo

enim infantibus gratior est, quam qui blandis alloquiis, imo jocis tempestive adhibitis mentem eorum ad hilaritatem compellere studet. — At vero non interest tantum, ut medicus subveniat morbis exquisitis, sed etiam, ut metuendos, vel imminentes arcere moliatur, quod officium haud minoris momenti est illo. Quanam ratione medicus id praestet, ut morbi prohibeantur congeniti, dirimi nequit; quum vero foetus sanitas magna ex parte a matris integritate pendeat, eo enitendum est, ut hujus valetudo vel incolumis servetur, vel si minus laeta sit, corrigetur, quod victu et regimine idoneo optime perficitur. Tum ipse partus plurimum attentionis meretur, quippe qui tam matri quam proli gravissimas injurias inferre possit; opus igitur est, ut partus, quantum potest, secundum naturae normam absolvatur semperque, si absolvi nequeat, instrumenta et encheireses modo extenus administrentur, quatenus inevitabilis reposcat necessitas. Partu exacto medicus ita cavere studeat morbos, ut omnia dispositionem morbosam inducentia, vel innatae faventia arceat atque suspendat. Proinde neonati submittantur aeri puro, sicco, salubri, sed tepidiori, vicissitudo temperiei exactissime vitetur, alimenta et vestimenta aptissima eligantur, quibus

neglectis curandi conamina irrita redduntur. Quodsi lac maternum vel parum sufficit vel suppeditari nequit, nutrimenta et aetati et constitutioni infantis consentanea in ejus locum substituenda et digestionis affectiones, nutritionem artificialem saepenumero excipientes, remediis idoneis corrigendae sunt. Nutrix, si qua adhibetur, valida sit, bene nutrita, omnis dispositionis morbosae, dyscrasiae, cachexiae, expers. Cutis mundities inde a partu quam maxime foveatur, ut bene succedat transpiratio, nec non alvinae excretiones, inprimis meconii, sustineantur. Utplurimum natura infantibus optima est medicatrix, quamobrem saepius apta diaeta et regimine, quam pharmacis opus est, etenim ipsa natura, ut dicunt, sibi succurrere solet. Infantes blandissimis incitamentis gravius affici omniaque repente posse mutari, in confesso est, quare medicus singulis diebus pluries eos adeat, minimaque momenta bene respiciat, necesse est. Maxima attentio deferenda est in turbas, evolutionis periodis supervenientes earumque decursum normalem pervertentes. Non raro quidem, ut supra annotavi, natura iis mederi studet et unaquaeque rudior curatio et intempestiva plus detrimenti quam commodi affert, veruntamen processus morbosi ab

evolutione pendentes interdum praesens periculum minitantur opemque promtam ferri jubent. Quod si accederit, medici est, quorsum natura vergat, disquirere, ut eodem ducatur, quippe quod sanctissimum effatum ad infantum morbos magis fere, quam adultarum, pertineat. Nunquam medicus immemor sit eximiae teneritatis atque incitabilitatis organismi infantilis, quibus efficitur, ut remedia fortiora non nisi circumspecte administranda eorumque doses admodum restringendae sint. Symptomata morborum graviorum curaturi, rationem habeamus necesse est eminentis reproductionis, quae abstinere jubet a remediis excitantibus et calefacientibus, v. c, drusticis; morbi igitur febriles regimen frigidiusculum, derivationes humorum mitiores ad tubum intestinalem, hirudinum, clysmatum et fotuum frigidorum applicationem, diaetam tenuem, refrigerantem, eupeptam, reposcunt. Dentitionis periodo blandas respondere derivationes, diarrhoea probat, quam natura inducit, ad cavendas affectiones periculosiores. Hydrargyri muriatici mitis usus ab infantibus alienus non est, quoniam morbosas productiones, v. c. exsudationes, coercet, dein specificum exserit effectum in systema lymphaticum, cujus maximus aetate infantili est

vigor, generatim plasticitatem exorbitantem deprimit. Infantes facilius vomunt adultis et emeticis levius offenduntur, quamobrem haec saepenumero salutifera sunt; doses ipecacuanhae minores, partim saburras gastricas eliminant, partim profusas compescunt excretiones, partim cutis transpirationem movent atque virtutibus antispasmodicis pollent, quare summo cum fructu imperantur, nisi summa subsit debilitas, vel sanguinis congestiones ad caput, apoplexiam moturae, vel herniae, vel viscerum inflammationes vigeant, Tartari stibiati usus minus in infantes convenit, quippe qui teste experientia hyperemesin facile excitet. Scire quoque oportet, morborum infantilium crises facilius contingere per cutem quam vias uriniferas, quod in eligendis auxiliis, crisin juvantibus, bene respiciendum. Haec fere de internis erant praecipienda, restat, ut de externis nonnulla adspergamus, quorum usus is esse solet, ut vel cutis secretio restituatur aut adaugeatur, vel revulsio et derivatio praestetur, omissis clysteribus et fomentis frigidis, quorum supra mentionem jam feci. Salutaria prae ceteris sese exhibent: balnea vel universalia vel partialia, provide adhibenda, ne oriatur perfrigerium; fomenta et cataplasmata tepida, ut resolvatur aliquid,

vel emolliatur et maturescat; inunctiones, rubefacientia; vesicatoria minus utilia sunt infantibus tenerioris aetatis ac majori incitabilitate praeditis, quoniam efficacia eorum gravior in organa uropoetica metuenda est. Sanguinis detractiones universales cauta manu instituantur, quum et ipsae difficiliores sint administratu et haemorrhagiae sanguinis liquidioris causa minus promte sistantur, et corpus infantile majorem humorum jacturam aegre ferat; utplurimum hirudines, et justo tempore et numero adhibitae, satis sufficiunt. Operationes chirurgicae, vel laevissimae, intra primas saltem vitae hebdomadas ob nimiam organismi teneritatem atque incitabilitatem sunt vitandae, nisi vitalis indicatio eas administrari jubeat. Licet minimas saepe post operationes systematis nervosi affectiones teterrimae, ut tetanus, trismus, febris, atrophia et simila, oriantur, nonnunquam tamen violentissimas laesiones, ut capitis, ossium fractuıas etc. mirum in modum sanari videmus. —

Curriculum vitae.

Natus sum ego Mauritius Doerenkamp, catholicae addictus religioni, die VIII. Septemb. anni MDCCCIV. ex pago Golkerath, prope Ercliniam, a patre dilectissimo Reinero Doerenkamp et matre optima Helena e gente Montfort, quos parentes gratia divina adhuc vivos mihi servavit. Primis, quibus puerilis aetas instrui solet literarum rudimentis imbutus, collegium publicum, quod Cempis floret, adii, unde tres post annos Gymnasium Coloniae Agrippinae florens petii. Per quatuor annos id frequentavi, quorum post decursum dimissus, ad almam literarum universitatem rhenan. Fridericam Guilelmam me contuli, ibique primum ad catholicam theologiam incumbens per annum voluntarius militavi; mutato deinde consilio Cl. Noeggerath t. t. Rectore magnifico civibus, et a Cl. Nasse Decano medicinae studiorum numero adscriptus sum anno MDCCCXXVI; per tres dimidiumque annum hisce virorum illustriss. et celeberrimorum lectionibus interfui: introductionem in studium philosophiae cl. Hermes, logicen cl. Elvenich, psychologiam cl. van Calker, physicen experimentalem cl. a Mynchow, chemiam experimentalem cl. Gust. Bischof, Botanicen generalem cl. Nees ab Esenbeck sen. disserentes audivi, nec defui excursionibus botanicis cl. Nees ab Esenbeck jun.

Zoologiam ac zootomiam cl. Goldfuss, mineralogiam cl. Noeggerath me docuere; osteologiam, syndesmologiam et anatomiam generalem cl. Weber mihi demonstravit; anatomiam specialem, pathologicam, comparatam, physiologiam, hystologiam pathologicam cl. Mayer, utroque Cl. duce usus ad cadavera dissecanda. Encyclopaediam et methodologiam medicinae, pathologiam generalem cl. Müller me docuit.

Lectionibus cl. Harless de materia medica, de pathologia et therapia morborum syphilitiocorum interfui.

Therapiam generalem atque specialem cl. Nasse me docuit, et de morbis psychicis atque de toxicologia eum disserentem audivi, et dux mihi erat in lectionibus clinicis et policlinicis medico-pathologicis ac therapeuticis. Pathologiam ac therapiam morborum chirurgicorum, oculorum morbos tam cognoscendos quam curandos me docuit cl. a Walther; quem etiam audivi disserentem de operationibus chirurgicis nec non de instrumentis ad illas perficiendas idoneis, atque de arte fascias rite applicandi; in exercitationibus clinicis et policlinicis chirurgicis et ophthalmicis mihi erat moderator; de arte obstetricia, de instrumentis obstetriciis, de morbis mulierum cl. Kilian disserentem audivi, cujus duce scholas clinicas obstetricias frequentavi et exercitationes obstetriciae in phantomate institutae sunt.

Bonna dein relicta ad almam musarum sedem Berolinensem profectus die II. M. Maji a. MDCCCXXX, a t. t. Rectore magnifico cl. Hegel civibus academicis adscriptus et a facultatis medicinae t. t. Decano spectatissimo Wagner in facultatis album relatus sum.

Ex eo tempore scholis interfui hisce cl. Wagner de medicina forensi disserentem audivi; in exercitationibus clinicis medicis Cl. Wolff et Bartels, chirurgicis Cl. Rust et de Graeve duces mihi exstiterunt.

Omnibus his praeceptoribus, optime de me meritis, maximas debeo gratias, easque palam et sincere mente profiteor.

Jam, tentamine philosophico medicoque, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina atque chirurgia honores mihi concedantur.

Theses defendendae.

I.

Certa graviditatis signa non exstant.

II.

Tetánus amputatione non sanatur.

III.

Siderum in hominem vim minime nego.

IV.

Ad propellendum sanguinem non tantum cor, verum etiam arteriae quid agunt.

V.

Cor est maxime irritabilis totius corporis pars.